



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalivm Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantùm ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche posay, Henri-Louis Chasteigner de  
Tolosae, 1614**

A Ivlio II. Creati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

cium incredibili auditorum frequentia & admiratione,  
nunquam rarescenti auditorio, Philippo Decio acri  
æmulo concurrente, interpretatus est: scripsitque, ut  
author est Pocciantius, complura noti tiâ dignissima,  
decretorum difficultates enodantia, sed impolita, &  
quibus extrema desit manus. Obiit Romæ an.  
1524. sepultusque est in æde S. Mariæ de populo cum  
hoc epitaphio.

*Francisci Soderini Episcopi Ostiensis & Volaterrani depositum.*

HADRIANVS CASTELLENsis Cornetanus I-  
talus, ex Episcopo Erfordiensi, & Bathoniensi Cardina-  
lis, primus omnium memoriâ nostra fuit, qui post Cice-  
ronis sæculum suis scriptis mortales ad perfectas literas  
ex probatissimis authoribus hauriendas excitauit: scrip-  
sit autem latinissimè tersâ & defecatâ dictione.

De modis latinè loquendi.

Devera Philosophia libros 4. ex quatuor Ecclesiæ  
Doctoribus conscriptos, variâ eruditione &  
multa pietate refertos.

Venationem ad Ascanium Sfortiam Cardinalem  
versibus Phaleucis.

Iterque Iulii Papæ 2. versibus Heroicis. Obiit  
circa annum 1518. Sed quo loco incertum: ten-  
tatis enim sub Leone x. Pontificatus arcans,  
ex spes vitae ubi facinus in aperto esse subsensit,  
in umbrante vesperâ arto comitatu Româ e-  
gressus est; suffugium procul urbe quæsitus,  
imminentemque perniciem voluntario exilio  
præuertere satius duxit.

---

A IVLIO II CREATI.  
GALEOTVS FRANCIOTVS de Ruvere, ciuis &

Episcopus Lucensis Iulii, 2. ex sorore nepos, Cardinalis, cùm nondum maturæ ætatis diem obierit, pauca scripsit; Extantque duntaxat Odæ eius aliquot præcoces primiæ, ingenij tamen indices, ut refert Folietta. Obiit anno 1508 funebri que oratione à Phædra Volaterrano laudatus. Sepultus est in Basílica Vaticana cum hoc Epitaphio.

*Depositum Galeoti Cardinalis S. Petri ad vincula.*

M A R C U S V I G E R I U S Sauonensis Ord. Minorū ex Episcopo Senogallensi Cardinalis, Patauii concurrente Antonio Trombeta, Theologiam publicè professus, eodem munere in Gymnasio Romano egregie functus est, hominumque opinioni abundè respondit. scripsit

Apologiam contra Conciliabulum Pisanum.

Tractatum de Antichristo.

De tollendis abusibus Dialogum.

Decachordum.

De ferro lanceæ & Christi indumentis eorumque dignitate.

Etalia quædam. Obiit Romæ anno 1516. Funebri que oratione à Camillo Porcaro laudatus; Sepultus est in æde S. Mariæ trans-Tyberin.

R O B E R T U S G V I B E' Gallus ex Episcopo Rhedenensi & Nannetensi Cardinalis, scripsit

Orationem ad Innocentium 8. habitam, cùm Fræisci vltimi Britanniæ Ducis nomine, eidem Pontifici obedientiam exhiberet. Obiit Romæ anno 1513. Sepultusque est in Ecclesia S. Yuonis.

*Ecclesiae Cardinalium.*

iii

FRANCISCVS XIMENES Cisnerius Hispanus Ordinis Minorum, ex Archiepiscopo Toletano Cardinalis, Complutensis Academiæ institutor, cum Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ peritissimus esset, plurima à studiis valde exoptata elaborauit; ut refert Tossignanus, sacrae Biblia variis linguis Chaldea, Hebræa, Græca & Latina Compluti summâ accuratione Tomis 6. imprimi curauit. Leonique x. succulenta præfatione appositâ demissè dicauit. Extant quædam eius Epistolæ ad Carolum Bouillum & alios. Iacetque in Ecclesia Complutensi cum hoc Epitaphio.

*Condideram Masis Franciscus grande Lyceum.*

*Condor in exiguo nunc ego sarcophago.*

*Prætextam iunxi sacco, galeamque galero.*

*Frater, Dux Præsul, Cardineusque Pater.*

*Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo:*

*Cum mihi regnanti paruit Hesperia. Obiit an.*

*1517.6. Idus Nouembris, die Dominico anno sui Pontificatus 22. etatis vero circiter 80. Ximenij res gestas Aluarus Gomezius libris 8. perscripsit.*

ANTONIVS DE MONTE ARETINVS ex Archiepiscopo Sipontino Cardinalis, Leoni x. author fuit ut Lateranense Concilium indiceret, cuius acta colligit, & typis mandari curauit. Romę sepultus est in eisdem S. Petri de monte aureo cum hoc Epitaphio. Vincen-  
tio Pimpinella in eius funere orante.

*Deo Opt. Maximo. Antonio Fabiani filio de Monte. S.R.E. Episcopo Cardinali Portuensi qui ob singularem Cæsarei & Pon-  
tificij Iuris scientiam Urbanis fere omnibus I. D. Magistra-*

tibus sub Innocentio 8. Alexandro 6. & Julio 2. Pontificibus Maximis sanctissime gestis, ab eodem Julio per omnes dignatum gradus in Cardinalium ordinem ascitus est; multisque inde Reipublicæ muneribus domi forisque praefectus, ac in Umbria semel Leonis x. & Clementis 7. in urbe iterum Legatus, eam semper pre se integratam, prudentiam, pietatem tulit, ut Romana Ecclesia non iam fratrem ac membrum nobilissimum, sed caput ipsum & patrem eius morte amisisse visa sit. Vixit annos 72. è vita excessit anno Christi 1533. Iulius 3. Pontifex Maximus Patruo Charissimo, ac de se & Balduino fratre suo optimè merenti, fecit.

A CHILLES DE GRASSIS Bononiensis Cardinalis, ad Heluetios Polonosque Sedis Apostolicæ Nuncius, & ad Ludouicum 12. Gallia Regem Legatus, scripsit Decisiones Rotæ iam pridem editas. Obiit anno 1523. Romæ sepultus in Ecclesia S. Mariæ trans-Tybetim cum hoc Epitaphio.

Achilli de Grassis Episcopo Bononiensi huius Basilice Cardinali, morum grauitate & Legum peritiâ nulli secundo, in quo nullum iustitiae, modestie, ac liberalitatis genus unquam desideratum est. Vixit annos 60. Clementi 7. & uniuersæ Curie maximo de se desiderio relicto.

---

A L E O N E X. M V S A R V M  
P A R E N T E C R E A T I.

L A V R E N T I V S P U C C I V S Florentinus ex Episcopo Pistoriensi Cardinalis, cui Erasmus & Baptista Mantuanus libros inscriperunt; Leone x. imperante inter instrumenta Pontificatus habitus est, cum vni Puccio ex sententia administratore, omnia Leo concederet. scripsit

De